

Christus per excellentiam est noster pater, magister, dominus, interim tamen et alios vocamus patres, magistros et dominos; ita præpter ipsum mediatorem possumus et alios hoc nomine honorare, etsi magno eum discrimine.

III. Ex usu et consensu totius Ecclesiæ, ut patet ex antiquissimis etiam patribus, Origene, Cypriano, Augustino, Ambrosio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, et aliis.

Primo enim, semper soliti sunt invocare sanctos, ubi crebro facit in suis sermonibus Sanctus Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, alique. S. Augustinus antiquitatis scientiam habens exploratissimam, serm. XVI. de annuntiat. scribit verba illa decantatissima: *Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, etc.* Constat enim S. Gregorium M. Romæ tempore pestis, litanias indivisse, anno Dom. 590. et in iis sanctos invocasse, Deiparæ quoque imaginem circumgestasse.

Secundo, semper soliti sunt supra sepulcra et memorias martyrum missas celebrare, quod quidem Felix papa, qui sub Aureliano imp. anno Dom. 175. martyrio coronatus est, decreto sanxisset legitur: ante ipsum tamen ex traditione saltem fieri consuevit, ut ibi Baron. Ad quid autem istud factum est, nisi ut per intercessionem sanctorum, preces et sacrificia hominum Deo gratiora fierent?

Tertio, semper in eorum memoriam templa solita ædificari; quam primum scilicet Ecclesia pacem a persecutione habere cepit, ut constat ex variis Conciliis et patribus, apud Bellar. contr. de sanctis, l. III. cap. IV. conc. Et quid aliud testantur templa Christianorum per universum orbem extructa, eaque sæpe antiquissima nisi cultum et invocationem sanctorum, quos sibi singulæ civitates et parochiæ in patronos elegerunt?

Quarto, a sanctis plurimæ civitates, oppida et monasteria per universum orbem nomen sibi sumpserunt et retinent in hodiernum. Et cur nisi ut sub eorum patrocinio tutius degerent?

IV. Ex miraculis primo, a Sancto Bernardo factis in confirmationem hujus rei. Cum enim contra Henricianos, qui inter alias hæreses rejiciebant invocationem sanctorum, prædicasset, populo offerente panes ut eis benediceret, benedicebat ille signo s. crucis edito, dicens: *In hoc scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem.* Et cum episcopus Carnotensis Gaufridus, qui aderat, timens diceret: *Si bona fide sumpserint, sanabuntur,* Bernardus de omni virtute nihil hæsitans: *Non hoc ego dixerim, ait, sed vere qui gustaverint sanabuntur: ut provehi veros nos et veraces Dei nuntios*

esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaleuit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur. Ita in ejus vita, l. III. c. V.

Accedunt infinita pene miracula, quibus sancti demonstrarunt se audire preces viventium et posse ac velle eos juvare. Ac ne dubitemus de fide scriptorum, plurima illorum scripta sunt a viris ss. uti a S. Nilo in epist. recitata in VII. Synodo, act. IV. Ambrosio, serm. XC. Augustino, lib. XXII. de civit. cap. VIII. Gregorio Turonensi, in lib. de gloria martyr. et confess. Gregorio Magno papa, lib. III. dial. S. Bonav. in vita S. Francisci, Bernardo, in vita S. Malachie, etc.

Taceo quæ passim in variis locis hodieque fieri consueverunt; quæ omnia negare et fraudis accusare, insani aut impudentissimi hominis est. Narrat S. Augustinus, lib. XXII. de civitate Dei, cap. VIII. inter alia memorabile exemplum de honorandis et invocandis sanctis, quamque in sibi supplices benigni sint ac benevoli. Accipite s. patris verba: « Erat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus et pauper, qui sartoris se arte pascibat, casulam perdidit, et unde sibi emeret non habebat: ad viginti martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce ut vestiretur oravit. Audierunt eum adolescentes, qui forte aderant irrisores eumque discedentem exagitantem prosequabantur, quasi a martyribus quinquagenos folles, unde vestimentum emeret, petivisset. At ille tacitus ambulans, ejectum grandem piscem palpitantem vidit in litore, eumque illis faventibus atque juvantibus apprehendit, et cuidam coquo Carchoso nomine, bono Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit, trecentis follibus vendidit lanam comparare inde disponens. ut uxor ejus, quomodo posset ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conscindens piscem anulum aureum in ventriculo ejus invenit, moxque miseratione flexus, et religione perterritus, homini eum reddidit; dicens: Ecce quomodo viginti martyres te vestierunt! » Est autem hoc loco follis nummis genus.

Ergo auditores, si magnum illum amicum nostrum adire forsitan timemus, quia scilicet iudex est et censor nostrarum actionum, assumamus amicos minores, sanctos inquam, et horum interventu, quasi quodam malleolo foribus appenso ostium pulsemus, ut Christus nobis ostium misericordiæ dignetur aperire. Sancti in cælo veluti campanulæ sunt domesticæ, quæ intus appensæ foris pulsantur. ut excitent Dominum ad aperiendum. Funiculus est oratio, qua campanas illas movemus. Verum ne pute-

mus, totum esse positum in sanctorum precibus. Audivimus enim ex Jeremia: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo nisi sanctorum precibus jungamus vires nostras, parum aut nihil efficiemus. « Habent enim, inquit S. Chrysost. hom. V. in Matth. vim pro nobis, et quidem maximam orationes supplicationesque sanctorum, sed tunc profecto cum nos quoque idipsum per penitentiam postulamus, et ad studia meliora confugimus.

CONCIO X.

SUPPLICATIONUM RITUS.

I. Præferuntur crux et vexilla. — II. Cantantur litanie. — III. Gestantur ss. reliquiæ et imagines. — IV. Adhibentur cerci ardentes. — V. Proceditur cum ordine: 1. Bini et bini. 2. Præcedunt parvuli. — VI. Adhibetur aliqua mortificatio. 1. Pedibus incedunt. 2. Habitu vulgari.

THEMA.

Quis vestrum habebit amicum, et abiit ad illum media nocte. Luc. XI.

Rem antiquam et omnibus notam gentibus esse supplicationem; qua populus in cœtum convenire, et una Deum precari in afflictione solet, non difficile ostendi potest. Nota fuit in primis antiquis Christianis, ut testatur supplicatio et utania S. Gregori M. anno Dom. 590. Romæ habita contra pestem: supplicatio Procli episcopi Constantinop. sub anno 36. imperii Theodosii habita Constantinopoli contra terræ motus: supplicatio instituta a Mamerto episcopo Viennensi in Gallia circa annum Domini 470. aliæque. Nota fuit Hebræis, e quorum numero Joel propheta, c. II. supplicationem incidit his verbis: *Canite tuba, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera. Et dicent: Parce Domine, parce populo tuo, etc.* Supplicationem instituit Josue, cum urbem Jericho septies circumiens muros ejus subvertit, Jos. VI. Rursum David cum reduxit ad se arcam foederis, 1. Par. XIII. Denique, Josaphat rex, quando vidit venire contra se multitudinem inimicorum cui resistere non poterat, II. Par. XX. Taceo Judæos illos, qui cum Jaddo pontifice suo, Alexandro M. ad se venienti cum exercitu extra urbem Jerosolymam obviam prodire in forma supplicationis, et incolumitatem sibi et urbi obtinere, apud Josephum, l. XI. antiq. cap. VIII. Nota fuit ethnicis, e quibus Romani imprimis, cum victoriæ spes affulgebat, deorum templa aperiabant, et supplicationes ad illa instituebant vota que facie-

bant, apud Jo. Rosinum, in antiq. I. X. c. XXVIII. Et quid multa? Ipsæ etiam bestię supplicationis quamdam formam agnoscere videntur. Memorat enim Ælianus, l. IV. hist. anim. c. IX. elephantas, ab interlunio, recrescente luna, ob quædam sibi naturæ indita recondita, ex silva ubi gregatim pascuntur, decerpere ramos eosque sublimes ferre, atque ad lunam suspicientes leviter movere, tamquam supplicationem quamdam lunæ prætenderent. Mirum itaque est, quod hæretici hisce temporibus supplicationes nostra rideant, quasi inauditas et peregrinas. Nimirum ipsi nuper primum nati sunt. Ergo ducemus eos ad venerandam antiquitatem paulisper contemplandam. Ecclesia, sponsa Christi, Cant. VI. *terribilis* appellatur, *ut castrorum acies ordinata.* Habet autem aciei bellicæ formam et similitudinem, potissimum in supplicatione publica. Ibi enim gestantur vexilla, quemadmodum et in acie, sed cruce Domini insignita: ibi auditur cantus litaniarum et hymnorum, quasi sonitus tubarum et tympanorum; ibi feruntur sanctorum sæpe imagines et reliquiæ, quasi tormenta bellica; ibi gestantur faces vel cerci ardentes, quasi ignarii funiculi quos gerunt sclopetarii; ibi ordinate omnes procedunt bini, terni, vel quaterni, quemadmodum et in acie milites; ibi omnes instructi rosariis, quasi armis spiritualibus, hastis vel balistis; ibi præmittuntur juniores, quasi flos militiæ; ibi denique militaris quasi disciplina cernitur in fidelibus.

I. Igitur præferuntur crux et vexilla crucis. Nec immerito; nam primo, sic monstramus orbi insignia nostra et profitemur publice, militare nos sub cruce, nec de ea erubescere, sed potius gloriarum, sicut sæpe monet apostolus, velut ad Hebr. ultim. *Eecamus ad eum extra castra,* inquit, *improperium ejus portantes.* Secundo, repræsentamus orbi victoriam Christi, quam per mortem, resurrectionem et ascensionem suam retulit de diabolo, morte, peccato. Hinc enim imagini Christi resuscitati vexillum attribuitur, in quo crux significat instrumentum, quo mediante, victoria illa parta fuit; velum autem e serica confectum tela, gloriam corporis redivivi Christi, quasi spoliū hosti detractum. Tertio, insultamus aeris postestatibus, earumque aseclis, tyrannis, hæreticis et quibuscumque crucis Christi inimicis; ac quodammodo dicimus: *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Ecce baculum illum quo percussi et debellati sunt tartarei canes, demones, persecutores, hæretici. Labarum illud, quæ usus est Constantinus M. in præliis suis, præsertim contra Maxentium, insignem ei victoriæ pepe-

rit; ad quameumque enim aciei partem ferebatur, eam mox confirmabat: tela in gestatorem missa, in se excepit, ipso in eolumi, ut scribit Eusebius Cæsar, l. II. de vita Constantini, Sozom. l. 1. hist. eccl. cap. IV. Eodem crucis vexillo fretus Theodosius imperator cum Eugenio tyranno, etsi viribus impar, conflare non dubitavit. Suadentibus enim quibusdam prælium omittendum esse: *Absit, inquit, id agamus, exercitui meo crux præsit, illius copias Hercules ducit.* Itaque gloriose vicit divino fultus præsidio, Nicephorus, l. XII. cap. XXXVI. Ita confirmamur nos præsentia et aspectu crucis. Denique, significamus hanc esse cæli regiam viam, quam oporteat sequi, crucem scilicet; hanc esse columnam ignis et nubis, quæ nos ducere debeat per desertum hujus mundi ad terram illam lacte et melle manantem, cælum.

II. Cantantur litanie, in quibus invocatur imprimis Deus velut fons et dator honorum omnium, voce *Kyrie eleison*, id est, Domine miserere. Deinde, sancti velut intercessores, voce *ora pro nobis*. Ergo imprimis hoc cantu Dei opem et sanctorum suffragia invocamus. Deinde, animos fidelium ad fervorem orationis et hilaritatem spiritus excitamus. Ita enim S. Bernardus, serm. II. de purificat. ait: *Quoniam hilarem datorem diligit Deus, ex fructibus charitatis est gaudium in Spiritu sancto, cantemus in viis Domini quoniam magna est gloria Domini.* Denique, hoc perterrere volumus Ecclesie inimicos seu visibiles seu invisibiles. Neque enim semel eo cantu incantati sunt mortiferi serpentes, ut nocere non possent Ecclesie Christi. Narrat Paulus diaconus, l. XVI. Antiochiam civitatem a terræ motibus diuturnis liberatam esse, postquam cives, qui remanserunt una voce conclamaverunt: *Kyrie eleison.* Idem sub Theodosio juniore obtendum Constantinopoli ejusdem vocis ingeminatione ut supra diximus, et scribit Nicephorus, l. XIV. hist. c. XLVI. Henricus auceps imperator Hungaros Saxoniam vastantes expulit ac devicit, dum in eos irrueret clamante universo exercitu: *Kyrie eleison, Kyrie eleison;* Hungari e contra clamantibus: *Hui, hui, hui,* apud Cranzium, l. III. metrop. Sax. c. VIII.

III. Gestantur etiam multoties sacræ reliquie et imagines sanctorum. Primo, ut eorum quasi præsentium patrocinio fortiores fiant preces nostræ, et illorum saltem interventu audiantur, si ob merita nostra audiri non mereamur. Sicut enim Jacob delinivit fratrem Esau sibi obviantem præmissione munerum, necnon parvulorum suorum, Genes. XXXII. Ita speramus etiam Deum racinus nobis placandum, si in nostris precibus representemus, et quodammodo obviam mittamus amicos ejus fideles, sanctos, quasi munera

grata, et fratres nostros. Fuere enim illorum corpora Spiritus sancti organa. Et si ira Dei quievit et substitit, grassante igne in Hebræos, cum interposuit se Aaron inter vivos et mortuos, Num. XVI. cur non idem sperare possimus, si sanctorum lipsana ante nos gestemus? Secundo, ut illorum præsentia animemur ad ferventiores preces majoremque in Deum fiduciam concipiendam. Quis enim nescit animari pugilem, cum ei periclitanti robustus alius miles succurrit? Tertio, ut illorum præsidio, dum sic eos honoramus et invocamus, muniamur contra hostes nostros. Non legimus undenan arma acceperint Israelitæ egredientes de Ægypto: et tamen Exodi XIII. dicuntur egressi esse *armati*. Armati igitur erant ossibus Josephi patriarchæ, quæ (ut statim ibi subditur) secum asportarunt ex Ægypto, velut reliquias sanctissimi viri et defensoris sui. Idem fecere passim Christiani in suis supplicationibus, ut Rhemenses, qui assumpta palla de sepulero Remigii, accensis super cruces cereis, psallentes circuierunt urbem et vicis et quacumque deflexerunt, ea loca immunia fuerunt a lue inguinaria, quæ per urbem sæviebat, apud Greg. Turon. l. IV. hist. c. V. Idem imitati cives Cæsaraugustani obsessi a Childeberto et Lothario; urbem enim circuierunt cum tunica S. Vincentii, effeceruntque ut hostes mox obsidionem solverent, eodem auctore, l. III. c. XXIX. Idem fecere Edesseni cum imagine Christi, missa ad Abagarum Edessæ regem. Obsessi enim a Chosroe Persarum rege, extulerunt imaginem ad murum civitatis versus hostium aggeres e lignis confectos, factumque ut inde inflammati aggeres conflagrarent, hostemque cum dedecore discedere coegerint, Niceph. l. II. hist. c. VII. Evagrius, l. II. c. XXVI. Eusebius, l. 1. hist. c. XIII. Scribit Lampridius, in hist. Alex. et Cagnol. in l. 1. ff. si cert. pet. Ulpianum juricons. purpura doctorali opposita repressisse impetum armatorum militum, qui irruerant in Severum imperatorem. Talis nobis purpura sunt reliquie sacræ, majoris procul dubio efficacie contra hostes nostros, quam fuerit illa doctoralis.

IV. Adhibentur sæpe faces et cerei ardentes. Primo, ut hac cæremonia Deum honoremus, igne inquam veluti clarissimo, supremo et potentissimo elemento, quod insigne divinæ majestatis est. Huic enim Deus in rubro Moysis, in columna, in monte Sina, in templo, et alibi eum ejus regia ac judicaria potestas exprimitur, in igne apparuit; imo Deut. IV. *ignis consumens* appellatur, eumque ignis præcedere dicitur, Psal. XLIX. et XCVI. Unde et imperatoribus olim præferebatur, teste Herodiano, in Commodio imp. Holoferni quoque obviam ierunt urbes cum coronis et lampadibus ut eum conciliarent, Judith, cap. III.

Vestales etiam Romanæ ad honorem Vestæ deæ ignem perpetuum fovere adstringebantur. Secundo, ut nos ipsos admoneamus officii nostri, quo jubemur occurrere sponso animarum nostrarum Christo cum lampadibus accensis, juxta monitum Salvatoris: *Sint lucernæ ardentes in manibus vestri.* Ardentes, inquam, igne charitatis seu fide viva. Qui gratiam obtinere vult a principe, amicum se ejus demonstrare debet: pari modo, si a Deo in nostris supplicationibus cupimus audiri, in statu gratiæ esse nos oportet, ejus rei admonet nos ardens cereus. Fatuæ illæ virginis a nuptiis exclusæ fuerunt, quia hoc igne caruerunt. Tertio, ut doceamur fervide et ardentem querere atque orare Deum. Sic enim mulier illa, quæ drachmam suam perdidit, accendit lucernam, et everit domum, quæsiitque diligenter, donec inveniret, Luc. XV. idemque dudum antea præcepit Isaias, c. XXI. dicens: *Si quaeritis quærite: convertimini et venite, q. d. quaerite sedulo et efficaciter, adhibendo media debita; quomodo dicimus: Age quod agis.* Hinc oratio thuri comparatur seu incenso, quia cum igne devotionis evolare ad cælum debet, hinc orare jussi sumus: *Pater noster qui es in cælis, ut fortiter lamemus (spiritu, non ore) quo nimirum audiamur a Deo in cælis constituto, nos in terra positi. Hoc igne arserunt duo illi discipuli peregrinantes, qui dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via? etc.* Luc. XXIV. Hanc causam reddit S. Bernardus, serm. II. de purificat. his verbis: *Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, et in desiderio cordis, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est ne forte tepidos nos evomere incipiat, qui in evangelio dixit: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?*

V. Proceditur cum ordine; et primo, plerumque gradiuntur bini et bini, partim in signum penitentiae, quando et animalia instant diluvio in arcam Noe, bina et bina ingressa leguntur, Genes. VII. partim ad commendationem fraternæ charitatis, quam etiam Salvator commendare voluit discipulis, cum ad prædicandum binos et binos misit; uti docet S. Bern. serm. cit. ubi addit: *Turbat processionem si quis solitarius incedere curat: nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

Secundo, præmittuntur communiter parvuli. Primo, in signum humilitatis, qua eos nobis præponimus velut innocentes nocentibus. Ita S. Bern. loco indicato ubi ait: *Humilitas virtus maxima maximeque necessaria est, ut honore præveniamus invicem, nec modo priores, sed et ipsos juniores sibi quisque præponat, quæ*

nimirum *numilitatis perfectio est et justitiæ plenitudo.* » Secundo, in signum deditionis, qua Deo insinuemus nolle nos cum eo pugnare, sed pacem et gratiam petere; si enim pugnare vellemus, fortiores præmitteremus, quod solet fieri in prælio. Ita elephantes, cum insidiantur eis venatores, congregati præmittunt, et in acie constitunt eos qui minimos habent dentes, quasi non veniant ad pugnandum, utpote armis destituti, vel ne dentium causa insidias patiantur, quod refert Ælianus, in hist. animal. Tertio, in signum deprecationis, qua per innocentes Deum nobis placemus, et culpam deprecemur. « *Efficax est puerorum baptizatorum oratio, inquit Gerson. in ser. de orat. in quibus nondum vigent carnalia desideria, quia per regenerationem facti sunt filii Dei et placabiles ei.* » Ita Jacob obvians Esau fratri, præmisit parvulos suos, quo mitigaret ejus odium, uti et factum, Gen. XXXIII. Volumus ergo hoc ritu dicere Deo, quod olim ei dixit Abraham: *Numquid perdes justum cum impio?* Genes. XVIII. q. d. si vis punire reos, parce saltem eis propter innocentes. Eodem certe argumento motus Deus pepercit Ninivitis; ait enim Jonæ: *Ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sint inter dextram et sinistram?* hoc est, parvuli et infantes, Jon. IV. Elephantes annem transmissuri dicuntur juniores præmittere, ne majores molesua annem efficiant altiore, auctore Barth. Angl. VIII. c. XLI. Itaque et nos præmittimus juniores, ne adultorum peccatis in Dei conspectum adductis ira ejus ingravescat, sed potius mitigetur. Hac arte placatus fuit S. Henricus imp. et Trojæ tum Italiae civitati reconciliatus; uti scribit Glaber. Cum enim Trojæ obsideret, et cives spe auxilii a Basilio Græcorum imperatore ferendi, ad quartum mensem obsidionem sustinerent, necnon imperatori suis ignium jaculationibus, et eruptionibus multa inferrent damna; (ita ut juraret imperator se quidquid stirpis virilis in urbe esset, in furcas acturum, urbemque solo æquaturum) tandem sese dedere coacti, supplicationem talem ad imperatorem instituerunt. Virum religiosum habitu monachi rogant, ut ducem se legationis præbeat, crucem gestet, huic quidquid in urbe pueritiæ erat, ac prope infantie, adjungunt certo ordine; castra ingrediuntur, clamant omnes *Kyrie eleison.* Cumque jam vox aures imperatoris ferret, lacrymabat ille; cumque illi veniam precarentur, remisit eos in urbem, et ait: *Novi ille cardiognosta Deus cives impios et perduelles causam potius horum necis quam me esse. Obsessi cum animum imperatoris motum, non tamen victum viderunt, eandem illi supplicationem postero die mittunt. Imperator ubi innocentem vocem,*

Kyrie eleison audivit, ultro surrexit, et progressus adspectandum, illud Domini edixit: *Misereor super turbam*; pacemque civibus ea lege dedit, ut eam murorum partem, quæ motibus illius bellicis erat objecta, demolirentur, quos et pacis acceptis conditionibus, salvos voluit, et murum dejectum resarcire imperavit. Jam igitur si aspectus innocentium in forma supplicationis potuit expugnare cor irati imperatoris et pacem urbi toti adeoque hostibus impetrare, non temere speramus, idem quoque a Deo nobis impetrari posse.

VI. Adhibetur aliqua mortificatio. Primo, pedibus omnes incedunt, et detecto capite ad exemplum Davidis, qui exulans a regia sua fugit ab Absalone, flens, nudis pedibus incedens, operto capite, II. Reg. XV. operuit ipse caput in signum luctus: nos caput discooperimus in signum humilitatis et reverentiæ. Significamus autem hoc ritu. Primo, oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum cælorum, juxta id Psal. CXXV. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Ut enim Hebræi (de quibus hic sermo) cum labore et fastidio quidem reversi sunt ex Babylone in patriam, ea tamen possessa gaudio impleti sunt: ita speramus nos post laboriosum vitæ hujus iter ad cælestem ingredi patriam. Secundo, dicere omnimodo ut Christum duce nostrum cruce oneratum exeuntem ad mortem pedibus subsequamur, quo modo etiam Davidem exultantem pedestres secuti sunt ejus aulici. Hinc summa quæque capita non erubuerunt processiones pedibus comitari, uti S. Ludovicus Gallie rex, qui nedum in terra, sed etiam in mari cum tempestat ingruerat, supplicationes pedibus instituebat. S. Pulcheria Augusta et ipsa pedes frequentabat supplicationes, teste Cedreno. Ejus quoque maritus Marcianus imp. vir summa religione præditus, in publica supplicatione aliis præire consuevit, teste Nicephoro, I. XV. cap. XV. Thomas Morus prius quam esset Angliæ cancellarius, crucem in processionibus publicis sacerdoti præferrebat. Factus cancellarius non potuit adduci, ut in prolixioribus processionibus, quæ fiunt his rogationum diebus, equum ascenderet. Dicebat enim: *Nolo Dominum meum (crucifixi imaginem) peditem eques sequi*, Stapletonus, in ejus vita, cap. VI. Conformiter Concilio Moguntino quod hoc præcipit can. XXXIV. *Non equitando, etc.*

Secundo, habitu vulgari, non pretioso, sed lugubri potius et vili, quod etiam præcipit Concilium Mogunt. loco cit. *Nec pretiosis induti vestibus, etc.* Ratio eadem quæ superior; etenim primo, ad Deum velut penitentes mendicimus, gratiam ejus imploraturi; non convenit autem mendicis et penitentibus habitus pretiosus. Sci-

mus enim Deum præcepisse Hebræis post adratum vitulum penitentibus: *Jam nunc deponere ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*, Exod. XXXIII. q. d. deponere arma, quibus me offendisti, fastum et superbiam tuam: tunc forte propitiabor tibi. Hoc advertens Theodosius senior imp. pugnaturus cum Eugenio tyranno, in summo rei periculo, cum supplicatione obiit orationum loca una cum sacerdotibus et populo, et ante martyrum thecas prostratus jacuit cilicio indutus, auxilium efflagitans, uti narrat Ruffinus, I. II. c. XXXIII. Similiter Theodosius junior in processione, de qua supra, privato habitu processit indutus et discalceatis pedibus, apud Nicephorum, lib. XIV. c. LVI. Quibus accedit, quod S. Antoninus, III. p. hist. t. XXII. III. §. XXXII. scribit processionem suo tempore institutam cum jejuniis in pane et aqua, habitu quasi religiosorum in cappis albis lineis, caput velantibus (relictis tantum ad oculos foraminibus) ad talos usque protensis. Rursum quod S. Gregorius Turon. I. III. hist. c. XXIX. mulieres amictus nigris palliis dissoluta cæsarie ac supposito cinere, alias cum cilicio et jejuniis, per supplicationis ritum impetrasse liberationem civitatis Cæsaraugustanæ a Childeberto et Clotario obsessæ.

Quæ omnia satis, opinor, superque ostendunt neque novas neque irrationabiles esse supplicationes, quas peragit Ecclesia. Superest ut nos hæc, quæ externo ritu agimus, animi quoque sensu devote peragamus, et majorum nostrorum pietatem pie æmulemur.

CONCIO XI.

ORATIO DOMINICA REMEDIUM CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

- I. *Contra superbiam*: Sanctificetur nomen tuum. —
- II. *Contra avaritiam*: Adveniat regnum tuum. —
- III. *Contra iram*: Fiat voluntas tua. —
- IV. *Contra gulam*: Panem nostrum quotidianum, etc. —
- V. *Contra invidiam*: Et dimitte nobis debita nostra. —
- VI. *Contra luxuriam*: Et ne nos inducas, etc. —
- VII. *Contra acediam*: Sed libera nos a malo.

THEMA.

Sic ergo vos orabit: Pater noster qui es in cælis. Math. VI.

Narrat in Apocalypsi Joann. cap. XIII. se vidisse bestiam septicipitem de mari ascendentem: quam admirata est universa terra, et adoraverunt dicentes: *Quis similis bestię, et quis poterit pugnare cum ea?* Si non ista, saltem non absimilis bestia est peccatum, quod de mari hujus mundi ascendens, et septem criminibus capitalibus horridè pene universam post se trahit terram ad sui admirationem. Sed (ut totus mundus abeat

bestiam illam) absit a nobis ut se ipsum aut veneremur eam; quin potius pugnemus contra eam, quia ad barathrum *Abissi et gehenna*. Sed *quis similis bestię, dicunt peccatores, et cum sequentes, et quis poterit pugnare cum illa?* Unde nobis gladius tam acutus ad præcidenda bestię capita? Subministrat eum nobis Christus in oratione quam nos docuit, in qua totidem petitionibus, quot capita sunt bestię, totidem impetuntur et resecantur crimina capitalia. Et quidem gladium istum fecit ipsemet artium omnium magister, ut merito existimare possimus præfiguratum fuisse per illum quod David abscedit caput Goliathi, quemque postea ab Achimelech sacerdote petiit, dicens: *Non est huic alter similis, da mihi eum*, I. Reg. XXI. Ad eundem enim modum petierunt a Christo discipuli gladium spiritualem: *Domine, doce nos orare?* et Dominus: *Sic ergo orabit: Pater noster, etc.* Videamus igitur num hoc gladio possimus resecare septem illa capita.

Capulum hujus ensis est initium orationis: *Pater noster, qui es in cælis*. Ut enim capulo retinetur ensis, ita fiducia nititur hæc oratio. Dicimus enim: *Pater noster, ergo vult. Dicimus: Qui es in cælis, ergo potest nos audire.*

I. Bestię caput est superbia, quæ vicit et deiecit supremum angelum cum sociis et deiecit in infernum, Pharaonem, Sennacherib, Nabuchodonosor, etc. Dicunt isti: Sanctificetur nomen nostrum, et quod ædificatores turris Babylonice: *Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat usque ad cælum, et celebremus nomen nostrum*, Gen. XI. Qui tamen ad extremum turpiter confusi et decepti sunt. Quid igitur huic vitio opponamus? *Sanctificetur nomen tuum*. Quæ verba nil aliud sonare videntur, quam quod illa Davidis: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Etenim Deus omnia quæ habemus bona, nobis dedit, omniaque in nobis bona operatur tamquam causa primaria, nos vero tamquam secundaria tantum; quia ipse non solum vires naturales, sed etiam supernaturales, ipse instrumenta agendi, gratiam et virtutes dat, ipse ad agendum movet, ipse simul nobiscum operatur et manum nobis ducit: et quomodo non ipsi debeatur omnis honor? Quomodo sine furti crimine nobis eum tribuere honorem possumus, qui soli debetur Deo? Dic enim mihi, sodes: Si magister pueri calamum, chartam, atramentum det puero, si scribere eum doceat et in ipsa scriptione manum illi deuat ut litteras elegantes exaret, cujus tu nomen celebrandum et huic scriptioni apponendum putas? Nonne magistri? Vel si quis insignis pictor speciosam pingat imaginem, num quia ad pictura penicillo usus est, abscribendum imagini putas? Num penicillum hanc

pinxit imaginem? Non sane, sed pictori abscribitur opus. Pari etiam ratione, si qua excellas re, dignitate, scientia, forma, genere, fortunæ bonis, virtute: si quid virtuosus, si quid strenuus designes, puer es, penicillum et instrumentum es, Deus vero auctor. Injuriam igitur Deo facit et furtum quoddam committit, qui talia bona sibi adscribit et per ea suum celebrare conatur nomen. Ut enim ille Putiphar omnia sua credit Josepho præterquam uxorem, Gen. XXXIX. ita et Deus tradidit quidem nobis bona sua, ea tamen lege ut ne ea nobis adscriberemus, sed gloriam eorum Deo intactam relinqueremus et diceremus in omnibus bonis nostris: *Sanctificetur nomen tuum*. Ipse enim dixit Isa. LXII. *Gloriam meam alteri non dabo*. Hoc sane agnovit ethnicus ille Python Atheniensis, qui, quod Cotyn regem interfecisset, ob res feliciter gestas prædicatus dixit: *Diis habenda est gratia, quibus auctoribus hoc factum est. Nam ipse nihil aliud quam manum et operam meam commodavi*, Plut. in præcept. polit. Cautissimus in eadem re fuit Carolus V. imp. qui debellatis in Germania Protestantibus non dixit cum Julio Cæsare post devictum primo accessu Pharnacem: *Veni, vidi, vici*; sed: *Veni, vidi, et vicit Dominus*. Jacet igitur hic resectum primum caput.

II. Caput est avaritia. Perdidit hæc Judam et de apostolatus culmine dejectum ad laqueum ac denique in gehennam præcipitavit; hæc divitem epulonem in inferno sepelivit; hæc Ananiam et Sapphiram repentina nece extinxit, et alios innumeratos. Dicunt isti omnes: Adveniat nobis regnum mundi; et si penes ipsos esset, eligerent potius hujus mundi opes, quemadmodum et filii Ruben et Gad, quibus erat in jumentis infinita substantia, habitare cis Jordanem elegerunt potius quam transire ad terram promissionis dicentes: *Nec quicquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga*, Num. XXXII. Quid igitur huic vitio opponamus? *Adveniat regnum tuum*; quod idem est ac dicere cum Davide, Psal. LXXII. *Quid mihi est in cælo? Et a te quid volui super terram?* q. d. nihil creatum invenio, quod me satiet. Et rationem subdit: *Defecit caro mea et cor meum*, q. d. ubicumque seu in quacumque re creata ponam cor et carnem meam, scio quia putrescet et deficiet. Idcirco: *Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum*, ait; quia scilicet ipse solus est thesaurus et hæreditas mea, in qua sola semper acquiescam. Stulte igitur agunt, qui regnum mundi eligunt ejusque divitias, dimisso vel non desiderato regno Dei, quemadmodum dives ille, qui hæc quærebat et statuebat sibi consolationem suam. Audivit enim a Deo: *Stulte, hac nocte reptunt*